



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An patronus possit jus patronatûs alienare, vel pensionem aliquam exigere, aut aliud onus seu gravamen ponere Ecclesiis vel beneficiis patronatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad movendos Laicos, ut ædificent, fundent, aut dotent Ecclesias: & hinc ne præjudicium fiat patrono, non potest facile ipso invito Ecclesia Parochialis, cujus patronus est, erigi in collegiatam.

Competit tamen patronis, qui fundaverunt, dotaverunt, aut ædificaverunt Ecclesiam, primò honor processionis (ut Patrono venienti ad Ecclesiam, clerus obviam processionaliter veniat, eumque excipiat, & ad honoratiorem Ecclesie locum deducat, dummodo ratione status hæc talia Personæ illi, seu Regi, aut magno Principi &c. conveniant, quod jus aliqui dicunt jus honorificum. Secundò competit illis, ut aliqui vocant, jus utile, ita ut, si ad inopiam vergat Patronus, ab Ecclesia patronata subsidia moderata ex superfluis Ecclesie bonis obtinere debeat. Tertio denique competit etiam illis jus onerosum tuendi, vel defendendi Ecclesiam patronatam, denuntiandi Episcopo, si bona talis Ecclesie dilapidentur, aut in alios usus convertantur, quam ex fundatione debeant &c. curandi, ut ædes sacre, & parochiales reparentur, divina officia celebrentur, fundatio impleatur &c.

§. III.

An patronus possit jus patronatus alienare, vel pensionem aliquam exigere, aut aliud onus seu gravamen imponere Ecclesie vel beneficiis patronatus.

Responderetur Patronum non posse propria auctoritate, sine consensu Ordinarii, seu Diocesani, jus patronatus solitarie acceptum alienare, neque

aliquid temporale exigere ab Ecclesia patronata, nisi certa pensio in prima fundatione, cum consensu Episcopi, patrono fuerit reservata. *c. Præterea* ubi non tantum patronis sub pena excommunicationis, sed etiam illis hæc talia sub eadem pena prohibentur, qui jus advocatæ in Ecclesia tendunt; quamvis enim jus patronatus & jus advocatæ propriè, & distinctè quando, sine distincta jura, sequuntur, tamen etiam in jure æquiparantur, ut etiam *Glossa in cit. c. Præterea* in voce *vocationis*.

SECTIO III.

De modis, quibus jus Patronatus, in alium transferri possit.

Quatuor modis transferri hoc jus potest in alios, successione legitima, sive jure hæreditario, translatione, donatione, permutatione, & venditione, de quibus in §. §. seqq.

§. I.

An & qua ratione jus patronatus per successionem hæreditariam transferri in alios possit?

Ad hæredes patroni, jus patronatus cum universitate bonorum, quibus annexum est transferri, & quidem tantum Testamento, quam ab intestato, neque solum ad suos hæredes, sed etiam ad extraneos, sive sint mares, sive femine, *ex c. i. h. t. indistinctè loquente, patet*. Ex quo jure rectè etiam inferitur, ex hoc Titulo